Jovis ſignum ab adventitiis purgatum ſordibus, & deterſum A præſtent (Phædryntæ ex eo, quaſi purgatores, aut illuminatores nuncupati) priuſquàm opus aggrediantur, ſacra faciunt. *Pauſ. lib.* 5.

ÆTHIOPES deorum ſimulacra minio illinunt, illa pro majeſtate numinum ſanctiora, & auguſtiora arbitrati. ÆGYPTII, & Phœnices ſingulis ſingulas alas addunt: Saturno verò quatuor, duas protentas, duas item remiſſas, & oculos quatuor, ut ſignarent ipſum dormientem vigilare, & vigilantem dormire. *Alex. lib.* 4. *c.* 1.

Plinius lib. 33. *c.* 7. docet, minium, quod Græci μίλτον appellant, nonnulli Cinnabar, apud ROMANOS non tantùm ſummo in precio, ſed etiam in magna religione fuiſſe. Nam feſtis diebus ſimulacra deorum minio oblinebantur, quemadmodum & triumphantes, quod tamen Galba ſenex in ſe fieri paſſus non eſt, *teſte Tacito*.

Pridie Idus Aprilis, mater deorum magna pompa à Gallis ad Almonem fluvium producebatur, qui non procul ab urbe Tiberi miſcetur, ibique ad confluentem duorum amnium abluebatur, veteri inſtituto. Nam quo primùm die ex Aſia illuc eſt advecta, à ſacerdote lota eſt: iſque mos poſteà per ſingulos B annos eſt ſervatus; *Lucianus in* 1. *Metam. & Prudentius in martyrio Romani*.

Victo M. Antonio, & Cleopatra, AUGUSTUS alterum unionem, cujus comparem ſexcentius H. S. æſtimatum, Cleopatra aceto diſſolutum abſumpſerat, diſſecari curavit, ut in Veneris utriſque auribus Romæ in Pantheo omnium cum admiratione ſpectaretur. *Plinius lib.* 9. *c.* 35.

CONSULTA, INVOCATA.

THEAGENEM quendam domi Hecates ſimulacrum, quod Hecateum vocent, adeò ſuperſtitioſè coluiſſe, Græcorum monumentis adnotatum eſt, ut nuſquam omninò proferret pedem, ni id conſuluiſſet. *Cælius lib.* 20. *c.* 6. *A. L.*

L. SYLLA civili bello à Teleſino Samnite, qui præter expectationem omnium Romam adoriebatur, ferè obtritus eſt. Sigillum dicitur habuiſſe Apollinis aureum Delphis ſublatum, idque cùm ſemper in ſinu inter dimicandum circumtuliſſe, tum illo tempore exoſculatus eſſe, atque ita fatus: Felicemne Cornelium Syllam, Pythi Apollo, quem tot ſplendidum, & inclytum evexiſti certaminibus, huc adduxiſti, ut proiicias C eum, ut in patriæ foribus unà cum civibus ſuis fœdiſſimè cadat? Ita precatum Syllam ajunt alios oraſſe, aliis minitatum fuiſſe, manu prehendiſſe alios: denique ſiniſtro cornu obtrito permiſtum fugientibus, multis deſideratis amicis, & familiaribus, in caſtra eſſe delatum. At dextrum cornu, quod tenuerat Craſſus, hoſtes Antemnam uſque perſecutum victoriam Syllæ tribuit. *Plut. in Sylla, & Val. l.* 1. *c.* 3.

CASSIUS, Cæſaris interfector, Epicureus, dicitur tamen in ſenatu Cæſarem interfecturus tacitè Pompeii ſtatuam intuitus, tanquam viventem invocaſſe. *Plut. in Cæſare, & Bruto*, ubi Bruti ſpectrum Sardis viſum refellit.

NERO Cæſar religionum uſquequaque contemptor, præter unius deæ Syriæ. Hanc mox ita ſprevit, ut urina contaminaret: alia ſuperſtitione captus, in qua ſola pertinaciſſimè hæſit. Siquidem icunculam puellarem, cùm quaſi remedium inſidiarum à plebejo quodam, & ignoto muneri accepiſſet, detecta confeſtim conjuratione, pro ſummo numine, triniſque in die ſacrificiis colere perſeveravit; volebatque credi monitione ejus futura prænoſcere. Ante paucos quàm periret menſes at- D tendit & extiſpicio, nec unquam litavit. *Suetonius*.

G E S T A.

MACRIANORUM familiæ viri Romæ in auro, & argento, mulieres verò in reticulis, in dextrocheriis, & in omni ornamentorum genere Alexandrum Magnum exſculptum ſemper habuerunt: quòd exiſtiment juvari in omni actione, qui eum geſtaret in auro, vel argento. *Volat. l.* 17. *Urban. Com.*

U S U R P A T A.

Ex *Procopio* narrationem texit *Evagrius*: EDESSÆ urbis cives in ſumma rerum deſperatione, cùm jamjam urbs capienda eſſet per Coſroen Perſam, imaginem, quam Chriſtus ipſe fecerat, & ad Abgarum miſerat, ad foſſam adduxiſſe, & immerſam aquæ contra rogum, & ligna objeciſſe; quo facto, dicto citiùs ſtruem lignorum in cinerem redactam, & aggerem, quem Coſroes extruxerat, ut pedeſtri impreſſione urbem invaderet combuſtum.

MUNERA, DONARIA, ANATHEMATA SUPERSTITIOSA, VEL DEDICATA. QUÆ. Puta

Statuæ.

MYRINÆ, & APOLLONIATÆ meſſes aureas Delphos miſerunt. *Plut. de Pythiæ orac.*

ATENIENSES palmam æneam, cum Minervæ ſigno aureis intecto laminis, Delphis dicarunt, victoria ad Eurymedontem parta. *Pauſan. in Phocicis & Plut. in Nicia.*

MEGARENSES ſoli penè haſtatum Delphis poſuerunt Apollinem de prælio, quo Athenienſes, qui ſecundum bellum Perſicum urbem ſuam tenebant, profligatos exegere. Hi tamen poſt plectrum Apollini aureum donarunt. *Plut. de Pythiæ orac.*

LIPARÆI, victis Tyrrhenis, Apollinis ſigna pari numero ſuperatis à ſe jam toties navibus, Delphos miſerunt. *Pauſan. in Phocicis.*

PHORMIS Mænalius à Mænala Arcadiæ, cùm in Siciliam tranſmiſiſſet, multa dedit bellicæ virtutis documenta, pluri- F mis expeditionibus partim à Gelone Denomenis filio, partim verò à Gelonis fratre Hierone ſuſceptis. Quare ad luculentam provectus fortunam plurima Olympio Jovi, quinetiam Delphico Apollini dona dicavit. Olympica ejus dona ſunt equi duo, aurigæ totidem. Aſſiſtit enim ſuus utrinque equo auriga. Alterum fecit Dionyſius Argivus, Ægineta Simon alterum. Inciſa eſt in prioris latere inſcriptio, verſu nullo adſtricta: Phormis poſuit Arcas Mænalius, nunc Syracuſanus. Huic equo hippomanes infuſum tradunt magni hominis aſtu, quo eſſet intuentibus miraculo. Magnitudine ille quidem, & ſpecie inferior eſt equis multis intra Altim poſitis, & deformiorem cauda præciſa reddit. Sed illum mares equi non verè tantum, ſed planè quavis anni parte appetunt. Irrumpentes enim effractis vinculis intra Altim, vel è rectorum manibus elapſi, illam invadunt, nihil herclè minus furenter, quàm ſi viventem pulcherrimam equam gregalem inituri adorirentur. Cedunt illis quidem ungulæ: non priùs tamen deſinunt, hinnitu omnia latè complentes, inſanire & veluti rabie quadam incitari, quam plagis, & acriori aliqua vi edomiti, ab illo ære abſtrahantur. *Pauſanias lib.* 5.

Naves.

G SESOSTRIS navem ex cedro ducenorum XXC. cubitorum longitudine, forinſecùs etiam aureis bracteis veſtitam, intus verò deargentatam fecit, quam dono liberaliter obtulit deo, qui Thebis colitur, *Diodorus*.

Arma, Clypei, Enſes.

HERCULES clavam ſuam, ab oleaſtro ad Saronidem paludem invento abſciſſam, Mercurio Polygio dedicavit Trœzene: eamque ajunt radicibus actis regeneraſſe, & oleaſter ille ætate etiam Pauſaniæ oſtendebatur. *Pauſanias in Corinth.*

Jovis Labradei, id eſt Securigeri in Caria ſignum eſt, quòd ſecurim tenet, non ſceptrum, aut fulmen: hac de cauſa Hippolyta Hercules interfecta, inter cætera arma, quæ ei detraxit, ſecurim Omphalæ dono dedit. Ac reges Lydorum, qui Omphalæ ſucceſſerunt, gerebant eam, quam ut quid aliud ſacri ex ſucceſſione accipiebant: donec Candaules dedignatus, uni ex familiaribus ferendam dedit. Ut verò deſcivit ab eo, atque ei arma movit GYGES venit Gygy Arſelis ex Myleis ſuppetias cum copiis: qui Candaulem, amicumque ejus ſubſtulit, ac ſecurim in Ca- H riam, cum ſpoliis aliis deportavit, paravitque Jovis ſignum addita in manu ſecuri, vocavitque Jovem Labradea, Lydi enim ſecurim labrem appellant. *Plut. in Quæſt. Græcis.*

Aureum ſcutum CROESUS Lydorum rex dedicavit Delphis Minervæ Proneæ, quod Philomelus Phocenſis eripuit. *Pauſanias in Phocicis.*

ARISTOMENIS ſcutum, quod in pugna contra Lacones ad Apri ſepulchrum in agro Steniclero fugientes perſecutus amiſit, Trophoni dedicatum fuit. Illudque idem poſteà in trophæu erectum victoriam Thebanis conciliavit contra Lacedæmonios ad Leuctra. *Pauſ.*

In medio faſtigii apice templi Jovis Olympii inaurata eſt Victoria, infra Victoriæ ſignum fixus eſt aureus clypeus, in quo Meduſa Gorgon cælata eſt. Dedicarunt LACEDÆMONII cum hac inſcriptione;

Ex auro phialam capta poſuere Tanagra,
Juverat hac bello quod Lacedæmoniis.
Cecropidæ, Argivique duces, & Jonica proles
A *Victores partis de ſpoliis decimam.*

Pauſ. lib. 5.

Heronitus, qui lingua Latina Mars dicitur, VOLGASTENSIUM Vandalorum deus fuit, ac in omni prælio victores ſeſe hoc prævio; futuros confidebant incolæ. In cujus templo miræ magnitudinis clypeus eidem dicatus, de pariete dependebat, aureis laminis, miro artificio exſculptis, obtectus, quem nemini mortalium fas erat attrectare. *Auctor Vitæ Othonis Magni.* 3. *cap.* 5.

Vaſa, Crateres, Tripodes.

Minervæ templum habet Lindos inſula Rhodiorum, in quo HELENA ſacravit calicem ex electro, mammæ ſuæ menſura. Electri natura eſt, ad lucernarum lumina clarius argento ſplendere. *Plin. lib.* 33. *c.* 4.

In pugna ad Platæas commiſſa contra Perſas, repertum eſt equorum præſepe Mardonii ducis ex ære totum, ſpectatu dignum, quod TEGEATÆ in templo Aleæ Minervæ repoſuerunt. Nam cætera, quæ cepere, in unum cùm cæteris Græcorum contulerunt. *Herod. lib.* 9.

Cùm Phocenſium tyranni vim magnam donariorum aureo- B rum, & argenteorum conflaſſent, ex quibus monetam ſignatam diſſeminarunt per civitates: collecto OPUNTII aliquantulo argenti urnam Delphos miſerunt, ac deo conſecrarunt. *Plutarchus de Pythiæ oraculis.*]

ALEXANDER Magnus Thebis direptis Lychnuchum penſilem arboris modo mala ferentem cepit, & Apollini Cymæo dicavit. Qui deinde in templum Apollinis Palatini à Romanis translatus fuit. *Plin. lib.* 34. *c.* 3.

GELON Syracuſanus tripodem ſexdecim auri talentis eductum Delphos miſit Apollini, pro gratia numinis, & benè rei geſtæ contra Carthaginenſes habenda, & in poſterùm conciliandа. *Diodorus. lib.* 11. *c.* 1.

Cæſis ad Claſtidium à M. Marcello Gallis, ROMANI Apollini Delphico donum crateram auream centum pondo gratiæ referendæ cauſa miſere, partemque magnam prædæ donaverunt ſociis civitatibus, ac multa ad regem Syracuſanum amicum, & ſocium Hieronem curaverunt ferenda. *Plut. in Macello.*

Monilia.

Apollo Delphicus ALCMAEONI, Quo pacto poſſet ab inſania liberari, percontanti:

C *Grandia dona petis, ceſſet furor iſte: ſed & tu*
Grandia dona feras pariter, mater quibus olim
Sub terras immerſit equos ſimul Amphiarao.

Ac Menelao, Quomodo puniret Alexandrum, interroganti, reſpondit.

Conjugis eripiens de collo da muliebrem
Ornatum ex auro mihi, quem Venus aurea quondam
Gaudia magna Helenæ dederat geſtare: valebis.
Inviſum Paridem ulciſci ſic.

Itaque Alcmæon matri Euriphyles, Menelaus Helenæ monile dedicavit: quorum utrumq; Phocenſes ſpoliato fano Delphico rapuere. *Athenæus lib.* 6. *c.* 4.

Coma, Capilli.

Morem veteres GRÆCI habebant comam alicui deo conſecrandis temporibus uſque herorum. *Homerus in* 23. *libro Iliadis* de ACHIL *cecinit*: Στά δ' ἀπὸ ἐωθὲ πυρῆς ξανθὼ ἀπεκείρατο χαίτω τὴν ἰῤῥω περχειῷ ποταμῷ τρέφε τῆλε θέωσα. Item THESEUS Delum eſt profectus, ut id faceret, *teſte Plutarcho Pauſanias* etiam conſuetudinis hujus meminit in Arcadis, ubi D LEUCIPPI regis Oenomai filii hiſtoriam narrat: qui cùm amore Daphnes arderet, nec ſperaret, ſe poſſe illam uxorem obtinere (abhorrebat namque virgo à marium conſuetudine) ad dolum animum convertit: auxilioque comæ productioris, quam Alpheo alebat, ſumpta itidem veſte muliebri, ſe virginem ſimulavit. *Victor. lib.* 6. *Var. Lect. c.* 22.

QUALIA, UNDE SUMPTA. NEMPE.

Primitiæ.

ERETRIENSES & MAGNETES, hominum primitiis Apollinem honoraverunt, ut Frugum largitorem, ut Patrium Natalitium, & Humanum. *Plut. de Pythiæ orac.*

GRÆCI pòſt pugnam ad Salaminem, parta de Xerxe victoria prædam inter ſe diſpartiere, ex quibus primitias Delphos miſere. Unde ſtatua effecta eſt longitudine cubitorum decem, truncam navis partem manu ſuſtinens: eodem in loco ſtans, ubi Alexander Macedo aureus. Miſſis Delphos primitiis. Græci publicè percontati ſunt, nunquid perfectas, & acceptas primitias accepiſſent? Quibus ille reſpondit. Habere ſe quidem à E Græcis aliis, verùm non ab Æginetis: ſed repoſcere donum optimè navatæ ad Salaminem operæ in pugna navali. Id cùm audiſſent Æginetæ, aureas ſtellas tres dedicaverunt: quæ ſuper malum navis æreum ſtabant apud angulum, proximi Crœſi craterem. *Herod. lib.* 8.

Ἑρμαῖον GRÆCI vocabant lucrum præter expectationem oblatum, à primitiis, quas olim in viis ponebant Mercurio, iis viatores veſcebantur. Alii malunt ductum ab acervis lapidum, quo in itineribus ambiguis Mercurio ſacros ponebant, quorum meminerunt, & Hebræorum proverbia: Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem *Eraſmus in Adagiis.*

Decimæ.

GRÆCI ex præda ad Platæas adepta decimas diis elegerunt.
☞ *Vide Tit. Præda bellica.*

ROMÆ Herculi complures divites facultatum ſuarum decimas ſolvebant, ut invidioſas civibus immodicas opes præciderent: & arbitrabantur, Herculem potiſſimùm capi ejuſcemodi profuſionibus, quod frugalis, & minimè luxuriantis vitæ fuerit. *Plut. in quæſt. Rom.*

Tributa, Vectigalia, Stipes. F

Suantoviti idolo, apud RUGIANOS in urbe Arcone culto, nummus ab unoquoque annuatim in hujus ſimulacri cultū pendebatur, cum ſpoliorum, ac prædæ parte tertia. Hoc idolum quoque trecentos equos, totidemque ſatellites in eis militantes habebat: quorum omne lucrum, ſeu terra, ſeu mari quæſitum, ſacerdotis cuſtodiæ ſubdebatur. Ille ex earum rerum manubiis diverſi generis inſignia, ac varia templorum ornamenta conflabat, eaque obſeratis arcarum clauſtris mandabat: in quibus præter abundantem pecuniam, multa purpura vetuſtate exeſa congeſta fuerant. Illic quoquo publicorum munerum, ac privatorum ingens copia viſebatur. Hanc ſtatuam totius Sclaviæ penſionibus cultam, finitimi quoque reges donis proſequebantur. Quam inter cæteros etiam rex Danorum Sueno II. precioſo poculo veneratus eſt: cujus poſtmodum ſacrilegii infelici nece pœnas perſolvit. Alia quoque fana compluribus in locis hoc numen habebat, quæ per minores flamines regebantur *Saxo l.* 14.

Furta.

MICHÆ Ephraimitæ mater, pecuniam à filio arreptam, Domino conſecravit. Cùmque eam à filio conſcientiæ ſtimulis agitato recepiſſet, ad idoli fabricationem contulit. *Judic. c.* 17. G

Fortuito inventa.

ANTIQUIS mos erat, ſicubi ficus repertus fuiſſet, eum veluti Mercurio ſacrum ſuſpendere. Liberum autem erat tollere ficum Mercurialem, cuicunque libitum fuiſſet, vel quod is deus furibus favere creditus eſt, vel juxta parœmiam illam κοινὸς ἑρμῆς, Communis Mercurius. Huc opinior alluſiſſe Perſium, cùm ait:

Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum;
Nec gluto ſorbere ſalivam Mercurialem.
Eraſmus in Adagiis.

QUIS DEDICARIT.

Anathemata varia *pete ex lib.* 6. *Græc. Epigram.* ex varietate perſonarum dedicantium diſtincta.

GYGES Lydorum rex, primus munera apud Delphos poſuit ſecundùm Midam Gordii filium, qui theſaurus dicitur à Delphis Gygadas. Nam & aurum Gygadas ſummè probatum veteribus animadverto, veluti Daricum. *Cæl. lib.* 6. *cap.* 11. *Antiq. Lect.*

CUR. CAUSA H

Adeptæ.

Tranquillitatis, Pacis.

Boves æneos CARYSTII, & PLATAENSES Delphis dedicarunt, quod Barbaris è Græcia expulſis, & alias fortunas incolumes habuerunt, & libero ſolo terram arare potuerunt. *Pauſanias in Phocicis.*

Victoriæ.

Dedicarunt Delphis AMBRACIOTÆ æneum aſinum, victis nocturna pugna Moloſſis. Nam cùm in illos noctu inſidias diſpoſuiſſent Moloſſi: aſinus, qui fortè ex agro in oppidum agebatur, aſellam inſectans cum multa laſcivia, vehementem ruditum ſuſtulit: ipſe etiam agaſo per tenebras obſcura, & incondita voce inclamabat. Injecit ea res tantam Moloſſis trepidationem, ut ſtatim inſidiarum locum deſeruerint: Eos Ambraciotæ detecta fraude noctu invadentes prælio ſuperarunt. *Pauſanias in Phocicis.*

AGESILAUS Rex Lacedæmoniorum, rebus feliciter ge-
A ſtis, biennio ſupra centum talenta quaſi decimam quandam Delphis Apollini conſecravit: benefacti ſemper ſe memorem eſſe oſtendens. *Plutarchus*.

AURELIANUS Imp. cùm bellum adversùs Marcomannos gereret, victoriam nactus, ne parum gratè cœlo demiſſam agnoſcere opem videretur, præter munera per urbem Romam multis templis data, ſoli Capitolino Jovi quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus contulit. *Fulgoſus lib. 1. capite de Regionis cultu*.

Sanitatis.

Apud GRÆCOS *teſte Strabone lib. Geog.* 8. mos fuit in templo ejus dei, qui auxiliatus eſſet, & præſertim Æſculapii, quod Epidauri inſigne erat, tabellas appendere, in quibus morborum curæ erant inſcriptæ. *Polyd. l. 5. c. 1. de rerum Invent.*

Conſequendi.

Victoriam.

ORNEATÆ, qui ſunt in Argolica terra, cùm Sicyoniorum bello premerentur, votum Apollini nuncuparunt, Si hoſtibus
B repulſis patriam periculo liberare potuiſſent, quotidianam ſe illi pompam miſſuros, & hoſtias ad certum, & præfinitum numerum immolaturos. Verùm cùm Sicyoniis prælio victis voti rei facti eſſent, pompam quotidie ex voto mittentibus, non tam impenſa gravis, quàm laboris, & moleſtiæ continuatio viſa eſt. Venit igitur in mentem, ſatis deo factum iri, ſi & pompam ſemel, & hoſtiarum numerum, ducta æquæ æſtimationis ratione, miſiſſent. Ænea itaque votum teſtantia Delphis poſita fuerunt opera. *Pauſanias*.

PAPYRIUS Imp. adversùs Samnites dimicaturus votum fecit, ſi viciſſet, Jovi pocillum vini. Denique inter dona antiquorum ſextarios lactis datos invenimus, nuſquam vini. *Plin. lib. 14. cap. 13.*

Veniam peccatorum.

JUDÆI, à Phariſæis ſic perſuaſi, neglectis parentibus, dona offerebant templo, hoc tanquam præſtantiori opere peccatorum remiſſionem merituri. *Matth. 15. Marc. 7.* Quam traditionem, cum avaritia Phariſæorum, & ſuperſtitione aliorum conjunctam, Chriſtus ſeverè coarguit.

Depellendi periculi.

CORN. Sylla dimidium Thebani agri Jovi Olympio, & Apollini Pythio conſecravit, ut ex ejus fructibus, pecuniæ,
C quas ex ipſorum templis ad alendum exercitum abſtulerat, ipſorum templis reſtituerentur: non ignarus, ſacrilegium ſæpiùs univerſi exercitus, & imperatoris exitio expiatum, atque eò gravius, quò tardior pœna ſecuta eſſet. *Sabell. l. 4. c. 2.*

Mathias Michovius hiſtoricus Polonus ſcribit, in confinibus LITUANORUM, ac Moſcovitarum, ſtatuam eſſe publico itineri impoſitam, quæ patria lingua Zlotababa dicitur, id eſt, Aurea vetula: quam ſinguli viatores certis munuſculis placant, etiamſi pili valorem non excedant, alioquin ſuſcepti itineris nullam habituri ſecuritatem. Hoc idem *Albertus Crantzius in Vandalia ſua* atteſtatur. *Olaus, Magnus lib. 3. c. 1. & Guagninus in Moſcovia*.

REPUDIATA.

Ajunt, THEMISTOCLEM Delphos profectum Apollini Medorum exuvias attuliſſe: percontantem verò, Nunquid intra templum ea dona locaret, juſſiſſe Pythiam, ut eas omninò extra ſani limen auferret:

In templo pulchras noſtro ne figite Perſei
Exuvias ſubitò, ſed veſtras mittite in ædes.

D Cùm admiratione certè cauſa quæri poteſt, cur ab vno Themiſtocle oblata dona de Medis, accepta deus non habuerit? Sunt enim verò, qui Perſica omnia ſpoliata itidem repudiaturum fuiſſe credant, ſi antequam dedicarentur, nunquid ſibi ea vellet offerri, quæſitum eſſet. Non deſunt, qui dicant Apollinem, cùm præſciret ſupplicem ad Perſas iturum Themiſtoclem, idcircò ſibi exuvias illas dedicari prohibuiſſe, ne religioſis monimentis teſtatum odium, fidem deprecationi abrogaret. *Pauſanias in Phocicis*.

TRANSLATA, TRANSMISSA.

In Praſienſibus Attici agri Apollinis eſt templum, quo HYPERBOREORUM primitias mitti tradunt. Eas enim Hyperborei Arimaſpis committunt, Arimaſpi Eſſedonis: ab iis acceptas Scythæ Sinopen, inde ad Praſienſens Græci deportant: eas deinde Delon Athenienſes mittunt. Involutæ illæ quidem triticea ſtipula ſunt, neque eas cuiquam fas eſt intueri. *Pauſanias in Atticis*.

CONSERVATA.

E PHARISÆI majorem curam auri ipſius templi, quàm templi habebant: majorem victimæ, quàm aræ, *Marci 9.*

ÆGYPTII cùm fame olim ita premerentur, ut humanis carnibus etiam pòſt multa animalia conſumpta veſcerentur: in ſumma tamen rerum penuria, & extrema neceſſitate, ea animalia, utpote feles, canes, lupos, accipitres, & alia hujus notæ, occidere noluerunt, quòd diis diverſis ſacrata eſſent. *Diodorus Siculus*.

RESTITUTA.

MASSINISSA Numidarum rex, cùm à præfecto ſuo eburneos dentes miræ magnitudinis accepiſſet dono: ubi comperit ex templo Junonis ſurreptos eſſe, quinqueremi reportandos, & Junonis ſurreptos curavit: inſculptos Libycis literis, ſignificantibus, regem ignoranter eos accepiſſe, & libenter deæ reſtituiſſe. *Val. Max. lib. 1. c. 2.*

TIMASITHEUS Liparitorum princeps, excepta in freto à civibus ſuis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, ubi comperit à Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, eam Delphos perferendam curavit. *Valerius Maxim. lib. 2. c. 2.*

CULTA.

Fornicati ISRAELITÆ ſunt in ephod, quod fecerat Gedeon. *Judic. 8.*

SUPERSTITIO IN RERUM CERTARUM AVERSATIONE, FUGA. AVERSA ANIMALIA.

☞ *Conſule Tit. Materia ſacrificiorum, quatenus certis certa animalium genera offeruntur: reliqua repudiantur.*

F GRÆCI olim canem ſacris templis arcebant, quò ſecurum refugium concederent ſupplicibus. Hinc probabile eſt, etiam FLAMINEM Dialem apud Rom. velut animatum, & ſacrum ſignum, quò perfugerent, ſupplices (qua de cauſa lectulus ejus in veſtibulo domus erat locatus: & genibus ejus advoluti, liberi illo die à verberibus, & ſupplicio erant. Quòd ſi vinctus ad eum confugiſſet, ſolvebatur. Vincula non foras per januam, ſed ſub tecto proiiciebant) non auſum fuiſſe, vel attingere, vel nominare canem, qui perfugium requirentes terreret, & prohiberet. *Plut. in q. Rom.*

Romæ FLAMEN Dialis capram, vel attingere, vel nominare cavebat. Utrum quia capræ deteſtantur laſciviam, & virus? an
G quòd eam, ut morboſam metuant? Apparet præ cæteris animantibus capram morbo comitiali eſſe obnoxiam, ac contagione afficere veſcentes, vel tangentes eo morbo occupatam. In cauſa eſſe ferunt anguſtias ſpiritualium meatuum ejus, qui ſubinde occupantur: conjecturam capiunt ex vocis exilitate. Etenim habent hoc homines, qui morbo comitiali tentantur, in loquendo, ut germanam caprarum balatui vocem edant. *Plut. in q. Rom.*

STIRPES.

ROMÆ. Bonæ deæ ornant ædem feminæ, myrtum eò non important: quamvis omnibus uti ſtudeant germinantibus, & florentibus. Quoniam ut fabularum ſcriptores produnt, Phaulii uxor illa fuit divinatoris: quæ vino furtim uſa cùm non fefelliſſet, myrtaceis virgis à viro caſtigata fuit. Qua de cauſa myrtum non inferunt, libant ei vinum, quod lac appellant, An à multis puræ, maximè à re venerea, ſacrificium illud perpetrant; Non ſolùm enim extrudunt domo viros, verùm etiam, cùm ſolemnia hujus deæ agunt, maſculum omne expellunt. Myrtum ergo, ut Veneri ſacram abominantur. Quippe quam nunc
H Venerem Murciam dicunt, eam quondam Myrtiam ni fallor, vocavere. *Plut. in q. Rom.*

VINUM.

☞ *Ex loco, Sacrificiorum materia, huc quædam.*

Vidi SENEM quendam Conſtantinopoli, inquit, Aug. Busbequius, qui cùm calicem ſumpſiſſet in manum, ut biberet, magnos priùs clamores edebat. Rogati à nobis amici, cur ita faceret? reſpondebant, eum his clamoribus commonitam velle animam, ut ſe reciperet in aliquem corporis angulum, aut prorſus emigraret, ne rea fieret ejus delicti, quod ipſe erat admiſſurus, neu vino, quod infuſurus erat, pollueretur. *In Itiner.*

FERMENTUM.

Romæ ſacerdoti Jovis, quam FLAMINEM Dialem nuncupant, farinam vel fermentum nefas fuit attingere. An alimentum eſt farina inchoatum, & crudum? Neque enim, quod fuit,

manet triticum: neque quod debet fieri, facta eſt panis: ſed ſi-
A mul & ſeminis facultatem amiſit, & cibi uſum non accepit. Hinc μολίφατον per metaphoram poeta farinam appellavit, quaſi in molendo peremptum, & corruptum. Fermentum namque, cùm ipſum ex corruptela genitum eſt, tum corrumpit ejus miſtio maſſam, quippe languida, & infirma efficitur. Brevi apparet, fermentationem putredinem eſſe, quæ ſi copioſa ſit, exaſperat, & labefactat farinam. *Plut. in quæſt. Rom.*

EIDEM carnem crudam attingere vetitum. An eadem de cauſa? Neque enim eſt animans, neque factum eſt dum pulmentum. Dum enim eliandro, & aſſandro alteratur, & mutatur, invertit formam ſuam. Recens verò, & cruda nec aſpectum habet purum, & impollutum, ſed fœdum, ulceroſumque. *Plut. in quæſt. Rom.*

TEMPORUM OBSERVATIO SUPERSTITIOSA.

Quoad

CULTUM. HUC FESTA SUPERSTITIOSÆ

Inſtituta.

B MAHOMETUS, quò ab Hebræis, Chriſtianiſque lex ſua diſſentiret, Veneris diem ſacrum ſtatuit, quòd in hac die rex eſſet factus, & quod cùm nulla alia ſecta ſentiret. Et ex hac pariter cauſa, ſoli Turci contra aliarum gentium ritum ad Meridiem converſi, Deo ſupplicant. *Cuſpinianus*.

Obſervata.

Antiochi Epiphanis milites JUDÆOS, qui in montium latebras confugerant, & regis mandato obedire recuſabant, aggreſſi ſunt die ſabbathi, & ita ut erant in ſpeluncis exuſſerunt, non repugnantes, ac ne aditus quidem ſpeluncarum obturantes. Etenim propter religionem diei repugnare nolebant, ne in adverſitatibus quidem violarent honorem ſabbathi, quando lex jubet feriati ab omni opere. Itaque perierunt, cum uxoribus, & liberis ſuffocati in ſpeluncis circiter mille, multi etiam elapſi adjunxerunt ſe Matathiæ ſacerdoti, Judæ Machabæi patri, eumque principem ſibi elegerunt. At ille docuit eos, pugnandum etiam ſabbathis: aut ſi ita pergant, ipſos ſibi futuros exitio, hoſtibus eam occaſionem obſervantibus, & non niſi ſabbatho illos aggredientibus, atque ita fore, ut vel ſine certamine omnes facilè opprimantur. Hoc locutus perſuaſit eis: & in hodiernum uſque mos hic permanet, ut ſi ita neceſſitas poſtulet, pugnent etiam ſabbathis. *Joſephus*
C *lib. 12. c. 7. Antiq.*

Ptolemæus Lagi F. Hieroſolymam ingreſſus, velut ſacrorum gratia, JUDÆIS nec arcentibus, nec hoſtile quid ſuſpicantibus, & alioquin eum diem in otio, & quiete agentibus, urbe potitus eſt. *Joſephus lib. 12. Antiq. c. 1.* ubi Agatharchidem Gnidium adducit ita ſcribentem: Judæi dum propter ſuperſtitionem gravantur arma ſumere, gracum dominum receperunt. Ita quoque *Plut. com. de Superſtitione*: Judæi, inquit, per ſabbatha in pannis non interpolatis deſidens, cùm admoverent ſcalas hoſtes, atque muros ſcanderent: haud erexerunt ſe, ſed hæſerunt ſicut uno in ventriculo in ſuperſtitione conſtricti.

Cn. Pompejus Magnus, cùm Hieroſolymam, urbem Palæſtinæ omnium munitiſſimam gravi obſidione cingeret, & videret urbem difficulter expugnari poſſe: obſervavit diem ſabbathi, quem ſanctiſſimè juxta legem obſervabant JUDÆI. Itaque ſimul, iterùmque eo die aggreſſus, eſt. Quod quamvis intelligebant Judæi fuco hoſtis fieri: urbem direptam
D hoſtis tradere, quàm ſabbathum negligere, ac in Dei legem peccare repugnando, maluerunt. *Dion. & Joſepus lib. 14. cap. 8.*

ACTIONES QUOTIDIANAS HOMINUM, SUSCIPIENDAS, Omittendas. Differendas,

In genere. Dies Nefaſti.

Α'ποφράδες ἡμέραι. id eſt. Nefaſti dies, ANTIQUIS vocabantur inauſpicati, & quibus publica non licebat agere Unde receptum, ut homines inviſos, ac deteſtandos, ἀποφράδας appellarent, Teſtis Lucianus in hujus vocis calumniatorem. Apud ATTICOS hujuſmodi dies erant ſeptem, quibus inferiæ peragebantur Manibus, iique, habebantur inauſpicati. At hæc veterum ſuperſtitio ſibi perſuaſit, & lunæ certos dies fini-

E ſtri auſpicii eſſe: veluti lunæ ſeneſcentis, quartam, quintam & ſecundam, & ἀπεικάδας appellabant. Rurſus dies, in quibus rei capitis damnabantur. ἀποφράδας veluti funeſtos. Poſtremò dies inſigni quapiam calamitate funeſti. ἀποφράδες dicti ſunt. *Horatius*.

Ille & nefaſto te poſuit die.

Horum dierum meminit *Plato libro de Legibus ſeptimo*, negans illos eſſe καθαρὺς, id eſt, puros, ſed ἀποφράδας, appellat, ut funeſtos, & ſepeliendis mortuis ſacros. Ea vox deinde tranſlata eſt ad homines execrandos, & abominandæ malitiæ, teſte verſic.

Α'νθρωπος ἀποφρὰς, καὶ βλέπων ἀπιςίαν. id eſt,
Homo nefaſtus, & ore perfidum tuens.

Eadem eſt autem Græcæ vocis etymologia, quæ Latinæ παρὰ τὸ φράζω. Hujuſmodi fermè Suidas, Heſychius, & Etymologicus, Quin & homines deteſtandos, ſacros dicimus, ut *Horatius: ſacer & inteſtabilis eſto. Virg.* etiam ad animi rem tranſtulit, *Auri ſacra fames. Eraſmus in Adagiis*.

ROMANOS, atris, & infauſtis diebus, pontificum juſſu, non modò à bellis gerendis, & Reipub. cura, ſed à rebus quoque divinis, & deorum ſacrificiis, abſtinuiſſe legimus. Sæpiùs tamen cùm hoſtium vim propulſarent, nulla ſe religione teneri putarunt: & neglectis infelicium dierum obſervationi-
F bus, proſperè dimicarunt, imitati Homericum Hectorem ὡς οἰωνὸς ἄριςος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Alex. l. 4. c. 12.*

In ſpecie. Quoad

Opus, laborem.

ROMÆ Idibus Auguſti ferias agebant ancillæ, & ſervi omnes, mulierěſq; maximè tergere, & mundare corpus ſtudebant. Nempe quod Servius rex eo die ex ancilla natus ſit captiva, deo vacationem operarum famuli habebant. Mos autem lavandi capitis feſti cauſa ab ancillis ad liberas quoque progreſſus videtur. *Plut. in quæſt. Rom.*

☞ *Vide ſuprà. Obſervata Feſta ſuperſtitioſè.*

Lucianus in Libello de Aſtrologia. palàm refert, Lycurgum legem inſtituiſſe LACEDÆMONIIS, ne prælium inirent, ante plenilunium. In eam ſuperſtitionem jocatur Ariſtoph. τῇ πανσελήνῳ. Id eſt, plenilunio, ſerò, aut nunqsram futurum ſignificans. Cùm Datis, & Artaphernes doctores regis Perſarum, in Marathonem irrupiſſent, plenilunium obſervabant Spartani, ut tum exirent in prælium. At priùs quàm illi venirent. Athenienſes bellum aggreſſi ſunt. *Herod. lib. 6.* de cunctantibus, & quavis occaſione rem proferentibus, dicitur, ἐν πανσελήνῳ. id eſt, in plenilulio. *Eraſm. in proverb. Acceſſæi Luna.*

PARTHIS de nocte pugnare, nefas eſt, & difficile. *Plut. in Craſſo.*

G GERMANIS olim nec conſuetudo, nec fas erat, ante novam lunam, decreſcente lumine ſideris, prælio contendere. Quod Ubi C. Julius Cæſar intellexit, religione impeditos, ad Rhenum aggreſſus profligavit. *Avent. lib. 1. Annal. Bojorum.*

Iter.

Athenienſes à Syracuſanis in Scicilia fœdè victi, fugam meditabantur. Comparatis omnibus cùm poſtera die ſtatuiſſent abnavigationem, luna noctis initio deficere viſa eſt. Quam ob rem NYCIAS dux admodùm pertubatus, ut erat natura religionis cultor obſervantiſſimus, tum propter peſtilentiam exercitum depaſcentem, ingenti deorum formidine tali portento corripitur: moxque accitos aruſpices conſuluit. A quibus reſpunſum eſt, poſt tres ſequentes dies abnavigationemq; oportere differri. Hoc reſponſo hi quoque, qui ſentiebant, cum Demoſthene duce, abitum omnino urgente, religioni deorum timore majoris mali parere coguntur. Syracuſam, cognita per transfugas ejus dilationis cauſa, Athenienſes terra marique adortos ſuperavere, & cepere. *Diod. l. 13. & Plut. in Nicia.*

ALEXIUS Angelus Byzantinus Imper. conſultis aſtris in
H Blachernas ſe conferre ſummo mane ante Solis ortum dilucolò inſtituit. Adeſt igitur omnis Imper. cognatione cùm luminibus, ut naviget unà, Deo verò monſtrante, ſe eſſe horarum, & temporum dominum, & à ſe itinera hominum vel proſperari, vel impediri: ſolùm ante Imperatorium cubile ultrò cedens profundè dehiſcit, ac id periculum Imperator mirabiliter evadit. Sed alter ejus gener, & alii plures, voragine illa impliciti, in cruribus malè afficiuntur: quidam verò eunuchus in imum hiatum delapſus periit. *Nicetas lib. 3. de Imp. Alexii Angeli.*

Migrationem.

Sextilibus Calendis ex veteribus dominus migrare, & novas incolere, ROMANI conſueverant: illaſque veluti boni eventus, & fortunatas obſervabant. *Alex. lib. 4. c. 20.*

Nuptias,

A Græci, præcipuèque ex his Lacedæmonii, quicquid eſſent rerum auſpicaturi, ſuperſtitioſè lunam obſervabant, Id quod tacitè notat Euripides, cùm in Iphigenia in Aulide reſpondet Agamemnon, tum nupturam filiam, ubi lunæ dexter circulus advenerit, videlicet de plena luna ſentiens.

Brutorum. Feriæ Brutorum.

Romæ Conſualium feſto tam equos quàm aſinos ſertis redimitos permittebant feriari: cùm Neptuno Equeſtri eum diem feſtum agant, Aſinus autem ea vacatione unà cum equo fruitur, in ejuſque partem venit: quia poſtquam extitit navigatio, & commeatuum ſubvectio mari, nihil otii, & quietis jumentis contigit. *Plut. in quæſt. Rom.*

Romæ Septimontio obſervabant, ne vehiculis, quæ equis eſſent juncta, uterentur. Septimontium autem celebrabant, quòd Septimus collis adjectus, & facta Roma eſſet ſeptem collium. Opere enim grandi ad ædificandam confecto urbem, quòd feciſſe eam exiſtimarent jam incrementi finem, cùm relaxaverunt ſemetipſi, tum remiſſionem dederunt iis, quæ in labore adjuverunt, jumentis, fruique publici feſti feriis permiſere. Fortè etiam cùm vellent feſtum omnium civium præſentia ornari, & B celebrar(i præſertim quod amplificatæ cauſa urbis agebatur) ne urbem, cujus eſt dies feſtus, relinquerent, non erat vehiculis jugatis illo die uti licitum. *Plutarchus in quæſt. Rom.*

LOCORUM SUPERSTITIOSUS Cultus.
FREQUENTANDO, COLENDO,
Non vitando. Cultus

Inſularum.

In Delo olim nefas canes alere, aut mortuos humare, In Rheena, quæ illi ad quatuor ſtadia adjacet, Deliorum ſepulchra fuere. *Sabell. lib. 1. En. 3.*

In Aphacis circa Libanum montem, & Adonim fluvium, ad quandam invocationem certo die, à ſummo vertice Libani, ignis inſtar œſtri progreſſus in vicino flumine mergebatur. Dicebant autem eſſe Uraniam, eo nomine Venerem appellantes. *Sozom. lib. 2. c. 5.*

Fluminum.

In flumen Persæ non micturiunt, nec lavantur, nec abluuntur, nec mortuum iniiciunt, nec alia, quæ immunda eſſe videantur. *Strabo lib. 15.*

Feruntur Ægyptii ex puteo peculiari Api potum præbere, C atque à Nilo eum in totum depellere: non quò liquorem ejus profanum crocodili cauſa (ut quorundam fert opinio) arbitrentur (mihi enim æquè eſt apud Ægyptios ac Nilus in honore) verùm ſaginare videtur, & obeſos reddere Nili hauſtus. Nolunt autem eam, vel Api, vel ſibi habitudinem eſſe, ſed expeditis, & agilibus veſtitas corporis animas, neque naturę caducæ vi, & mole, cœleſtem premi, vel degravari. *Plut. de Iſide & Oſiride.*

Luſitaniæ fl. Eſſemea, ab aliis Belion dictus, labitur ex Celtiberis, & Vacceis. Fama eſt, Celtiberos, & Gallos, qui circa Anam fluvium agitabant, olim junctis inter ſe armis ad Lethen perveniſſe: ibi ſeditione jactatos, ac duce amiſſo, tota regione diſpalatos, velut patriæ oblitos, his locis deſediſſe, atque ab ejus rei adventu accidiſſe, ut jam inde Lethe ſit fluvius dictus. Quam Romanus exercitus famam ſecutus, omnis mali vitandi ſuperſtitione amnem tranſgredi recuſavit, ita ut D. Junius Brutus dux ſignum in ulteriorem ripam jacere cogeretur. In quo repetendo fluvius à paucis primùm, mox ab univerſo D exercitu religione quodammodò attonito, quòd id nomen Oblivionem ſignificaret, & unum ex quatuor Orci fluminibus, ſuperatus eſt. Injecta eſt & altera major circa Oceanum religio: nam eo uſque Brutus victor Romana ſigna protulit. Hìc cadentem in Oceanum Solem ſibi dux, & exercitus ſpectare viſus eſt, eumque aquis obrui, non ſine ſacrilegii metu ſe cernere arbitrati ſunt, ob aſtronomiæ imperitiam. Vetus opinio fuit ipſum ſidus ſub occaſum marinis fluctibus immergi, ac velut candentis ferri maſſa in lacum aliquem immerſa, fervorem quendam terrificum exaudiri. *Sabell. lib. 9. Enn. 5.*

Lucorum.

Ad quercum Mambre, ſub qua Abraham Angelos Dei Sodomam punituros obvios habuit, longa poſt ætate Palæstini & Phoenices, & Arabes idololatriam exercuere. Diſtat locus Hieroſolymis circiter CCL. ſtadiis, Terebinthus vulgo dictus. Meſſi tempore illic conveniebant, tanquam ad mercatum, Judæi, Chriſtiani, Ethnici: pro ſua quique religione locum colunt, orationibus, ſacrificiis, opima animalia in convivium E illud ſacrum toto anno ſervantes. Cum mulieribus, licèt cultiſſimæ ſacro interſint, religionis cauſa non miſcentur in puteum ab Abraham depreſſum libamenta proiiciunt, alii lychnos accenſos, alii vinum, alii placentulas, alii numiſmata, unguenta, vel thymiamata: eamque ob cauſam aqua illa commixtione injectorum corrupta, & inutilis eo tempore redditur. Hanc idololatriam Conſtantinus Magnus ſuſtulit, & templum ibidem ædificavit. *Euſeb. lib. 3. de Vita Conſtantini, & Sozom. lib. 2. cap. 4.*

Æsculapii lucum apud Epidaurios, montes circumquaque incingunt: intra cujus ambitum mori, aut naſci quemquam religio eſt. Pilæ intra ambitum olim multæ, in iis virorum, & feminarum, quæ à Deo curatæ ſunt, nomina inciſa: morborum etiam, quo quiſque laborarat, addita eſt curationis ratio. Scripta verò omnia Dorica lingua. Eſt ibi porticus, Cotyos dicta, in qua feminis parere, & ægris mori liceret. *Pauſ. in Corint.*

Habuit Sclavorum gens locum quendam ſacrum, firmiſſima ſepe cinctum ob deorum multitudinem maximè in deliciis: in cujus medio ruinoſæ quædam ſtetere quercus, Provendeo dicatæ, cui flamen quidam præerat, ad quas varii ſacrificiorum ritus peragebantur. Illic ſecunda feria populus, F cum flamine, & regulo, qui tum ad tribunal ſedere ſolebat, conveniunt. Artium ingredi fas nemini erat præter ſacerdotes, ac ſacrificare volentes, aut quem mortis periculum urgebat, cui tutum hìc aſylum dabatur. Tantùm enim ſacris locis reverentiæ exhibent, ut nec hoſtium ſuorum ſanguine ea pollui patiantur. *Hermolaus cap. 3.*

Sepulchrorum.

Sepulchrorum vetuſtiſſima fuit religio, ne quis violaret, deiiceret, frangeret: quæ lex non modo in XII. fuit & in Solomanis, ſed etiam in antiquiſſimis Numæ, & Latinorum, Græcorumque: quæ non tam ad jus civile profanum, quàm ad ſacra, religioneſque pertinere videbantur, quòd ſepulchra veluti templa quædam eſſe deorum manium exiſtimarentur. Ideòque inſcribebatur in eis, D.M.S. id eſt, Diis manibus ſacrum: & quæ illis celebrantur ſacra, Necya ſunt dicta. *Cic. 2. de Leg.*

AVERSANDO, FUGIENDO.
Locorum ſuperſtitioſa fuga.

Judæi religioni non ducebant Chriſtum inſontem damnare: at prætorium Pilati introire verebantur ne contaminarentur, Paſcha comeſturi. *Joan. 18.* G

Landora Scaniæ littus eſt in Dania, regibus inimicum, quòd illud aggredientes, annum ſupervivere non poſſe dicantur. Itaque cùm Ericus IV. Danorum rex, tutor Valdemari pueri regii, bello contra Olaum tyrannum, male ominoſum litus fugiens, Eskillo Ludenſi Epiſcopo exercitum commiſiſſet, magna ſtrage affectus eſt. *Saxo lib. 14.*

Virgo Oxonienſis Frideſuida, ducis Didani filia fuit. Cuthredo regnante. Hanc regulus nomine Algurus ad ſtuprum cogere volens, fugientem perſequitur. Illa ſe protinus in oppidum recipiente, ei porta clauditur, lumenque oculorum eodem momento adimitur. Verùm mox virgo ſuis precibus Deum Algauro placuit, qui rurſus videre cœpit. Hinc fama eſt innatam poſteà Regibus religionem, ut formidarint in urbem Oxonium introire. Atqui Henricus IIX. rex, Oxonium ſine ullo ſuo incommodo, ac totius populi magno cum gaudio ingreſſus eſt. *Polydorus lib. 4.*

DE SUPERSTITIONE Correctiva.
SUPERSTITIOSA CORRECTIO H
Suiipsius.
CONFITENDO. CONFESSIO
Superstitiosa.

Chorus metuens ne civitas Thebarum, à Græcis expugnaretur, quia juſtam cauſam hoſtes habebant, *Apud Eurip.* inquit:

Ἄργος ὦ Πελασγικὸν, δειμαίνω
τὰν σὰν ἀλκὰν, καὶ τὸ θεόθεν.
οὐ γὰρ ἄδικον εἰς ἀγῶνα τόνδ᾽ ἔνοπλος
ὁρμᾷ παῖς, ὃς μετέρχεται δόμους.

Argos ò Pelaſgicum, timeo tuas vires, & divinum auxilium. Non enim injuſtum in certamen hoc armatus contendit (Polynices) filius, qui accedit ad ſuas ædes. *Phœniſſis.*

Lyxandro ſciſcitanti deos in Samothrace, juſſit ſacerdos, quod facinus in vita nefandiſſimum concepiſſet, expromere. Hic percunctatus eam, tuone an deorum præcepto id faciam

faciam; Qui cùm diceret, Deorum: Tu ergo, inquit, hinc faA ceſſe, ego illis, ſi rogent, aperiam. *Plut. in Apoptheg.*

Homerum literarum principem ideò excæcatum memorant, quòd in Helenam ſtylum diſtringere ſibi permiſiſſet: nec viſus deinceps unquàm fuiſſe compotem, quòd delicti perſeverarit imprudens: Contrà verò, errore animadverſo; Stesichorum facilè in reliquum eſſe oculis uſum, cùm per palinodiam recinuiſſet: Non verus ſermo ille fuit, neque navibus altis exiſti fugiens, neque adiſti Pergama Trojæ. Cùm & Socratem produnt, ubi in amorem petulanter eſt invectus, à dæmone familiari ampliùs caſtigatum, atque inde priùs, quam ſiniſtri pateretur quippiam, expiatum, amoris ejuſdem præconia concelebraſſe. *Cælius l. 15. c. 28. A. L.*

POENITENDO. POENITENTIA
Superstitiosa.

Serapion monachus in Scethi Ægypti errore Anthropomorphitarum ita deſipiebat, ſimplicitate quadam, non malitia, ut ne à Paphnutio quidem paſtore ſuo converti poſſet. Cùm autem aliquando Photinum diaconum Cappadocem, ad viſendos ejus loci eremitas profectum, diſputantem audiviſſet de B imagine Dei, ad quam homo conditus eſſet: reliquit ſuam de corporali Dei forma opinionem. Verùm cum paulò pòſt in gratiarum actionem exurrexiſſet: ſenſit inter precandum ex mente ſua elabi eam, quam oraturus, Dei anthropomorphin ſibi proponere conſueverat. Conſternatus igitur animo prorupit in amariſſimos fletus; & humi devolutus clamavit: Heu me miſerum, tulerunt à me Deum meum, quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem, aut interpellem, jam neſcio. *Caſſian. cap. 3. Collationis.* 10.

Stesichori Lyrici poetæ meminit *Plato in Phædro.* Is cùm Helenam carmine vituperaſſet, oculis orbatus eſt. Intelligens autem (Achille, ſicut ſcribit *Pauſan. in Lacon.* Helenæ juſſu nunciante) cæcitatis ſuæ cauſam, protinus palinodiam cecinit, Helenamque priùs vituperatam laudavit, itaque viſum recepit. Hunc Socrates jocatur ſeſe velle imitari, & amoris vituperati priùs canere palinodiam, quam orbetur oculis. *Eraſmus.*

PUNIENDO.
☞ *Vide Tit. Superſtitioſa cura ſuiipſius, Carceribus, Flagellis, ſupra.*

CASTIGATIO, REPREHENSIO,
C Correctio aliorum Superstitiosa.
Conſideratorum reſpectu.
SUBJECTI, HOC EST, EJUS,
qui corrigitur. Sic exercetur erga
Poenitentes. Nolle Recipere
pœnitentes.

Acesius Novatianorum Epiſcopus, à magno Conſtantino rogatus; An decreta concilii admitteret, & limitem fidei, & definitionem feſti Paſchalis? aſſenſus eſt. Imperatore autem denuò interrogante, Cur ſe ipſe ſegregaret? Quæ ſub Deciana perſecutione eveniſſent, edocuit: & acrimoniam auſteri Canonis protulit: Non oportere iis, qui poſt baptiſmum, peccatum (quod ſacræ literæ mortale vocant) in ſe admiſiſſent, divina myſteria communicari: ſed ad pœnitentiam quidem illos eſſe cohortandos, ſpem verò remiſſionis non à ſacerdotibus, ſed à Deo expectandam, qui peccatis poſſet dare veniam. His ab Aceſio dictis reſpondit imperator: O Aceſi, ſcalis appoſitis ſolus cœlum conſcendito. *Suidas ex Socrate.*

D Sacerdotes.

Qui in Meroe ſunt deorum cultui dediti ſacerdotes, cùm eis viſum fuerit, regi Æthiopum nunciant, ut mortem oppetat. Ita enim deorum jubere reſponſa, neque fas eſſe immortalium voluntatem à mortali homine contemni: aliaſque addunt rationes, quibus ex vetere, obſervataque conſuetudine voluntarium regi ſuadeant mortem. Et ſanè ſuperiores omnes reges, ſacerdotibus, non armis, neque vi coacti, ſed ipſa victi ſuperſtitione, ſponte paruerunt. At Ptolemæi ſecundi tempore rex Æthiopum Ergamenes Græcis doctrinis, philoſophiæque deditus, hunc primus morem ſprevit. Uſus namque prudentia rege digna, cum militibus in Avatum, ubi templum aureum erat Æthiopum, profectus: ſacerdotibus omnibus interemptis, veterique conſuetudine abolita, pro voluntate regnum tenuit. *Diod. lib. 3. c. 1.*

Augures.

Fuit obſervatum apud Rom. in omni augurum reſponſo, ut ſi pullarius, ſeu quivis augur, qui auſpicatur, cuique monita deorum prædicere, & de augurio reſpondere, ac portenta interE pretari curæ fuit, tacitum ferret, quod dii vulgari voluiſſent: haud aliter contraheretur nefas, quàm ſi occulenda divulgaret, & abdita palàm faceret. Si verò augurio fallaci mentiri auſus fuiſſet, ſiniſtrumque pro dextro, vel quod prodigii foret, contra denunciaſſet: non id illis, qui de auſpicio conſulit, ſed in ipſius pullarii, vel auguris caput, qui tam improbè mentiri auſus eſſet, quicquid fuiſſet infortunii, reciſurum. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 29.*

Judæos.

Sisebutus rex Hiſpaniæ, anno 654. initio regni, Judæos ad fidem Chriſtianam compulit, quos provocari, oportuerat fidei ratione. *Rod. Tolet. lib. 2. rer. Hiſpan. c. 17.*

Ferdinandus & Isabella, Caſtellæ Reges, cùm exploratum habuiſſent, per Judæos, quam in illorum ditione erant: ſcelera nefaria contra religionis noſtræ ſanctitatem conflari, omnes illos in exilium ejecerunt anno 1488. Quidam vero ex illis ad Chriſti ſe cultum, & fidem contulerunt. Alii autem, ne fundos, & ædes, & reliqua bona relinquere, vel tempore alieno vendere cogerentur, ſe Chriſti religionem profiteri ſimularunt: Reliqui omnes in exilium pulſi ſunt. Cùm verò alii in alias partes diſiecti fuiſſent, maxima eorum pars à Joanne F II. Luſitaniæ Rege ſub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones autem potiſſimæ fuerunt, ut octonos aureos ſinguli Regi perſolverent, & intra certum tempus è Portugalliæ finibus emigrarent: quòd ſi poſt tempus illud aſſignatum viſi in Portugallia fuiſſent, libertatem amitterent: Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Hac ratione Joannes grandem ſibi pecuniam comparavit, & quamdiù vixit, ſedulò curavit, ut Judæis fidem præſtaret, quam dederat. Itaque eis, qui in portubus illi operas navabat, imperavit, ut agerent cum naviculariis, ut tolerabili quadam vectura Judæos in regiones, quas ipſi vellent, tranſportarent. Sanxit præterea, ne quiſquam injuriam illis inferret. At mercatores, & navicularii, qui Judæos in naves ſuas recipiebant, eo in mari multis injuriis admodùm acerbè divexabant. Multi verò eorum cùm minimè poſſent ea, quæ erant ad navigandum neceſſaria, intra tempus illud emere, & tempus interim illis conſtitutum elaberetur, libertatem amiſere. Qui igitur ſervum Judæum habere cupiebat, eum à Rege poſtulabat: Rex autem eorum precibus cedebat, quos animadvertebat eſſe miti, clementique natura præditos, ne Judæi duriore, quàm par eſſet, dominatu premeG rentur. Hoc autem accidit paulò ante Joannis mortem. Emmanuel, qui Joanni ſucceſſit, videns illos non ſponte ſua contra fœdus in Portugallia poſt tempus à Joanne præſtitum remanſiſſe, omnes liberos eſſe juſſit. Hoc illi beneficio permoti, ei magnum argenti pondus obtulere: quod accipere noluit. Statuerat enim gentem illam beneficiis paulatim ad ſtudium Chriſtianæ pietatis allicere. Sed aliquanto pòſt cùm veniſſet in conſultationem, Utrùm Judæi, qui fuerant à Caſtellæ Regibus expulſi, & in Portugallia morabantur, eſſent expellendi continuò, ut fuerat Joannis tempore conſtitutum: an potiùs in ſedibus, in quibus eo in regno confidebant, habitare benignitate Regia permittendi: & Caſtellæ Reges Emmanuelem per literas admonerent, ne gentem ſceleratam, & Deo, & hominibus inviſam, conſiſtere in Portugallia ſineret: poſt longam deliberationem tandem ſtatuit, ut omnes Judæi atque Mauri, qui Chriſti religionem profiteri nollent, è regni finibus excederent: diemque dixit, intra quem omnes, qui in illius regno fuiſſent inventi, libertatem amitterent, anno 1496. Cùm jam inſtaret H dies, omnes ſe ad navigandum ſumma ope comparabant. Rex Emmanuel indigniſſimè ferens, tot hominum millia in ſempiternum exitium detrudi, ut ſaltem filiorum ſaluti proſpiceret, juſſit, ut Judæorum filii, qui nondum decimum, & quartum annum ætatis excederent, à parentibus abſtracti, & ab illorum conſpectu remoti, in religionis Chriſtianæ diſciplinam traderentur. Erat res viſu mirabilis, à complexu matrum filios avelli, patres liberis affixos raptari, & fuſtibus etiam contundi, clamores ingentes ubique tolli, omniaque mulierum plangore, & ejulatu compleri. Fuere, qui rei indignitate perturbati, filios in puteos abiicerent. Multi etiam eò progreſſi ſunt amentiæ, ut ſibi mortem propria manu conſciſcerent. Accedebat ad graviorem gentis miſeræ calamitatem, quòd illis, qui tantis injuriis affecti in Africam tranſmittere cupiebant, facultas minimè præbebatur. Rex enim adeò flagrabat cupiditate gentis illius ad Chriſti religionem perducendæ, ut partim præmiis alliciendam, partim malo cogendam eſſe